



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XVI. Cum in illis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

posteriori. Respondet Bonifacius VIII. esse distinguendum, si præbenda separata est à dignitate vel officio, debetur primo impetranti Titio, cum non fuerit intentio Papæ per secundum mandatum præjudicare Titio, seu jus ejus auferre, nisi id claris verbis exprimat; sin autem præbenda annexa est dignitati, vel officio, tunc in illius assecutione præferendus est posterior impetrans.

SUMMARIUM.

1. Quod Princeps per secundum rescriptum, aut gratiam velit alicui auferre jus acquisitum, non est præsumendum.
2. Inter connexa, qui unum assequitur, etiam alterum assequi debet.
3. Et hinc indirectè sapius ratione accessionis de bonis temporalibus cognoscere potest Prælatus Ecclesiasticus, qui de principali, cui est annexio temporalium facta, cognoscere potest.

¹ Notandum primò. Non est præsumendum, quòd Princeps per secundum rescriptum, vel gratiam factam, auferre velit jus acquisitum alteri, per prius rescriptum, aut gratiam priorem, ut hic dicitur & in c. *quomòs is 8. de rescriptis in 6.* Si tamen Papa exprimat, ut posterior in data præferatur alijs omnibus, servanda est voluntas Papæ, quippe in his beneficialibus plenam potestatem habentis, ut ait *Gl. in cit. c. quomòs.*

² Notandum secundò. Sæpè contingit, ut aliquis jure connexionis aliquid accipiat, quod per se ac separatim accipere non possit. Ita *Gl. hic not. 2. & dictum est supra c. super eo 6. hoc tit. & libro.* Deinde inter connexa, qui unum assequitur, etiam alterum assequi debet, cum non possit unum admittere, & alterum refutare.

³ Corollarium. Inter duo coherentia valde interest, utrum eorum principale sit; id enim attendi debet, ejusque natura, ac conditiones consideranda sunt, cum alterum accessoriè consequatur; exempli causâ, in

quocunque beneficio Ecclesiastico, ac prælatura duo insunt, jus spiritualis tituli, & temporalia dona, sive redditus. Quare cum illud principale sit, idè de beneficijs ac prælaturis disponere, & providere, lites circa ea ortas cognoscere, ac dirimere, ad Ecclesiasticos Prælatos pertinet, non ad sæculares potestates: tamen enim sæcularis potestas cognoscere possit de bonis temporalibus Ecclesiarum, maximè, si feudalia sint, quatenus ea secundum se spectantur, v.g. si prælatus litem habeat circa prædium cum vicino Comite Imperij, non tamen cognoscere potest, si lis oriatur circa bona Ecclesiarum, etiam feudalia, non secundum se, & principaliter, sed tantum accessoriè, si nimirum quærat de beneficij, aut prælaturæ titulo, ad quem pertineat, vel de jure collationis, ad quem spectet; talis causa ex proprio objecto Ecclesiastica, & spiritualis est, adeoque extra limites sæcularis potestatis; consequenter sæcularis Magistratus de Bonis hujusmodi Ecclesiarum disponere non potest, ea transferendo, aut à titulis suis abstrahendo.

Vice versâ autè licet Prælati Ecclesiastici, & ipsemet sumus Pontifex de bonis feudalibus Ecclesiarum per se, ac directè cognoscere non possint, c. *ex transmissa 6. & c. sequenti de foro competente*, tamen per accessionem seu coherentiam possunt id, quando illam definiunt, & consequenter cognoscunt, ad quem bona, beneficia, aut prælaturæ, seu feudalia sint, seu non feudalia, pertinere debeant.

CAPITULUM XVI.

Cum in illis.

PARAPHRASIS.

Si Papa mandet, ut Titio in aliqua Ecclesia provideatur dignitas, personatus, aut aliud beneficiū quodcunque, nullâ de Animarum curâ mentione factâ, nõ potest vi hujus mandati provideri beneficiū personatus, aut dignitas curam Animarum annexam habens, propterea, quòd in illis, qui

ad

ad curata beneficia promoventur, major quam in alijs beneficiarijs idoneitas necessaria sit.

SUMMARIUM.

1. Pastores Animarum debent prudentiâ, virtute, & doctrinâ bene esse instructi.
2. Beneficij nomine simpliciter prolati in strictiore acceptione non venit beneficium curatum.

Notandum primò. Qui curam Animarum suscipiunt, seu pastores Animarum sunt, debent esse prudentiâ, virtute, ac doctrinâ benè instructi, cum ars artium sit regimen Animarum. c. penult. de etate & qualitate &c.

Notandum secundò. Nomine dignitatis, personatus, & beneficij cujuscunque, in materia stricta non comprehenditur dignitas, personatus, aliudve beneficium, si curatum sit: debet itaque in supplicatione, & impetratione exprimi, quòd beneficium curam Animarum habeat; alioquin literæ subreptitiæ erunt. Adde, si personatum, aut dignitatem obtinens, aliam dispensativè impetrare velit, necesse esse, ut mentionem faciat tam de cura Animarum, si annexa sit personatui priùs habito, quam de cura, si annexa sit dignitati seu personatui accipiendo. Clement. I. hoc tit.

§. Illis verò.

Si mandetur provideri Titio de personatu, seu dignitate, etiamsi curam Animarum habeat, spectante ad collationem, provisionem, præsentationem, aut dispositionem cujuscunque, vi hujus mandati provideri non potest prælatura aut dignitate electiva.

SUMMARIUM.

1. Sub generali nomine beneficij non venit electivum.
2. Adde, quòd in rescriptis Papalibus per generalem clausulam ad quoruncunque præsentationem beneficium perti-

neat, non derogatum sit patronatui Laico.

Notandum. Generali vocabulo beneficij aut dignitatis pertinentis ad quoruncunque provisionem, aut dispositionem, in beneficialibus rescriptis, non comprehenditur beneficium, aut dignitas electiva. Ita Franc. hic n. 2. Ratio est, quia impetrationes reservationum, aut dispositionum papalium circa beneficia electiva (præsertim si prælaturæ sint, aut majores dignitates) ademptâ facultate eligendi, odiosæ esse solent, & Ecclesijs aliquando noxiæ, ideòque in rescripto specialiter exprimi debent. Accedit, quòd Franc. hic monet n. 3. Papam difficiliùs induci, ut per suum rescriptum universitas seu collegium graveur, quàm ut personæ particulares. Simili ratione in c. Deliberatione 4. de officio legati in 6. decernitur, ut legatus, tamen si à latere sit, prælaturas & dignitates post Episcopatum in Ecclesijs Cathedralibus majores, si electivæ sint, reservate aut conferre non possit.

Adde, quòd in rescriptis papalibus per generalem clausulam, ad quoruncunque præsentationem beneficium pertineat, non censeatur derogatum patronatui Laico, sed opus sit derogatione speciali, & expressa, secundum Gl. receptam in Clement. 2. v. Apostolicis hoc sit, & docuilib. 4. tract. 2. c. 13. n. 5.

§. Cùm autem.

Quia inter liberam collationem, præsentationem, & institutionem in beneficio, magna differentia est, ideo si mandetur, provideri Titio de beneficio pertinente ad collationem, v. g. Episcopi, non potest provideri de beneficio pertinente ad ejus præsentationem, aut institutionem; sed nec vice versa: cùm enim unus casus, ac veluti una species expressa fuerit in mandato, non debet illud, cùm strictæ interpretationis sit, ad alios casus, seu species extendi.

SUM-

SUMMARIUM.

1. Neque collationis beneficii nomine in stricta significatione venit institutio.
2. Neque sub certo modo providendi de beneficiis expresso, veniunt alij etiam modi non expressi.

Notandum primò, Beneficij collatio, si strictè accipiatur, differt ab institutione; nam collatio liberè fieri solet, institutio verò præcedente præsentatione ex quadam necessitate, si præsentatus idoneus sit. Electus verò dicitur confirmationem accipere à Superiore, prout docui *lib. 4. tract. 2. c. 10. n. 1.* At verò nomen provisionis, seu ordinationis est nomen generale, comprehendens collationem, institutionem, & confirmationem; quamvis in materia stricta non censetur comprehendere electiva, seu confirmationem electorum, prout *Gl. tradit §. præcedente v. electionem. Ibidem Franc. n. 7.*

2. Notandum secundò, Si in literis beneficiis unus modus providendi exprimitur, alij modi exclusi censentur; idem quoque sentiendum de omni mandato, seu commissione, quòd casus in ea expressus diligenter attendendus, & ad alios casus propter similitudinem, aut majoritatem rationis extendendus non sit, *c. cui de non 27. infra hoc tit. c. susceptum 6. ubi id docui in not. unico de rescriptis in 6.*

§. Si verò.

Neque potest provideri de beneficio pertinente ad collationem plurium, si Papa mandet, ut provideatur tali de beneficio ad collationem unius pertinente, & vice versa, nisi clausula addita sit *communiter vel divisim.*

Si Papa mandet provideri de beneficio pertinente ad collationem, vel præsentationem aliquorum, non potest provideri beneficium pertinens ad collationem, aut præsentationem unius tantum, nisi adjecta sit clausula *communiter vel divisim*; & vice versa, si Papa mandet provideri de beneficio

pertinente ad collationem unius, v. g. Episcopi, non potest provideri beneficium, cuius collatio ad eum unà cum alio spectat. Ratio prioris partis est, quia à pluribus conjunctim, non licet descendere ad singulos, nisi addatur *conjunctim, vel divisim. c. ult. infra hoc tit.* Ratio posterioris est, tum quia rescriptum beneficiale non debet extendi, ut plures gravet, quàm expressum sit; tum quia, quod ad plures pertinet, id propriè non est singulorum. Qua de re DD. nominatim *Bart. in L. servi electione §. 1. ff. de legatis. 1.* ubi aptè distinguit, quod est commune pluribus, tanquam universis, seu universitati, id singulorum dici non potest; quod autem commune est pluribus, ut singulis, id singulorum dici potest, sed non verè ac propriè, cum singuli de re, saltem tota, arbitrato suo disponere non possint, prout notavit *Gl. in reg. 11. ff. Franc. hic n. 3.*

CAPITULUM XVII.

Si tibi absenti.

PARAPHRASIS.

Si Episcopus tuus tibi absenti Ecclesiasticum beneficium conferat, tamen per ejusmodi collationem, donec eam acceptaris, jus in beneficio non acquiras, ut tuum dici possit, tamen Episcopus, vel quicumque alius, idem beneficium alteri conferre, aut providere non potest, nisi tu acceptare recitaveris; adeò ut si alteri conferatur, aut alius instituatur, provisio, seu ordinatio irrita sit. Potest tamen Episcopus temporis terminum tibi præfinire, intra quem voluntatem tuam declarare debeas, eoque elapso, si non consenseris, alteri, cui ipse putaverit, liberè conferre; ceterum priusquam conferat, etiam post lapsum terminum consensum addere non prohiberis, ita, ut ex eo tempore dati consensus Episcopus collationem alteri facere non possit.

SUMMARIUM.

1. Conferri quidem potest absenti & ignoranti beneficium, neque tamen acquiritur